



S Adelberus pietatis & literarū amore in monasterium Eluangen ingressus est. Ibi tanta diligentia præceptores audiuit, & prælecta repetit, ut breui suos æquales eruditione omnes superaret. Erat enim singulari prudentia, & in rebus agendis mira dexteritate præditus. itaq; post Vuldgarium anno octingentesimo nonagesimo primo Augustanus Episcopus factus est. Eam ecclesiam optimè gubernauit, atq; nihil quod boni pastoris erat intermisit. Itaq; Arnolphus Cæsar ipsum magno amore profecutus est, atq; multoties ad se uocatum de rebus maximis consuluit. Tandem etiam ei filium suum Ludouicum educandum tradi-

dit. Amabat S. Adelberus doctissimos uiros plurimū. Vnde cum sciret huiusmodi multos ad S. Gallii monasterium cōuenire, eum locum aliquoties uisitauit, & multis donis liberaliter exornauit. Hinc factum ut etiam Hupaldus comes ei filium suum S. Huldricum instituendum traderet. Cum hoc modo optimè per uiginti annos suam Ecclesiam gubernasset, tandē ætate grauis obiit, & ad S. Afrā (ubi postea S. Huldrici templū fuit) sepultus quiescit. Ano.